



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Larisseno Archiepiscopo, & Episcopo Cithoniensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

vestris eidem Archiepiscopo, in suis deducendum expensis, propter hoc assignare curetis. Datum ut in alia.

*NOBILI VIRO GAVFRIDO
Principi Achaiae.*

*Epist. 169.
De munienda
Ecclesia Patra-
centi.*

AD tuitionem Ecclesiarum tanto te intendere convenit quanto ex hoc Regi Regum dinosceris complacere. Cum igitur Ecclesia Patracensis, in maris littore constituta, incurfibus pateat piratarum, & venerabilis frater noster Patracensis Archiepiscopus eam intendat aedificiis necessariis communire, ut Clerici & servitores ipsius tutè ibidem valeant commorari, nobilitatem tuam rogamus attentius & monemus, per apostolica tibi scripta mandantes quatenus super hoc Archiepiscopum non impedias memoratum. Alioquin venerabilibus fratribus nostris Larisseno Archiepiscopo & Episcopo Cithoniensi damus nostris litteris in mandatis ut te ad hoc, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, iustitia mediante, compellant. Datum ut in alia.

Scriptum est ipsis super hoc.

*LARISSENO ARCHIEPISCOPO,
& Episcopo Cithoniensi.*

*Epist. 170.
Vt Archiepiscopus Patracensis fruatur terra de Larfa.*

EX insinuatione venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Patracensis accepimus quòd cum bonae memoriae Willelmus Campaniensis, dudum in Apuliam transfurus, nobilem virum Hugonem de Cham. suum Ballivum & procuratorem fecerit generalem, promittens firmiter ut quicquid disponeret vel donaret, ratum haberet & firmum, sigillum sibi proprium committendo, idem Hugo positus in extremis terram de Larfa Ecclesiae Patracensi reliquit, & licet id postmodum nobilis vir Gaufridus Princeps Achaiae approbasset, spontanea voluntate dictum Archiepiscopum de terra illa investiens coram multis, cum tamen idem Archiepiscopus ad percipiendos fructus illius terrae suum destinasset Ballivum, nobilis vir P. de Becciniaco, asserens se terram ipsam auctoritate Principis possidere, Ballivum ipsum fructus percipere non permisit, eosdem occupans pro sua arbitrio voluntatis. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus Principem & nobilem memoratos, ut ab eisdem Archiepiscopi super hoc indebita molestatione desistant, permittentes eundem terram ipsam pacifice possidere, ac eidem de fructibus perceptis ex ea satisfactionem idoneam exhibentes, monere prudenter & efficaciter inducere procuretis, ipsos ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut iustum fuerit, compellentes. Testes autem qui fuerint nominati &c. Datum Laterani Nonis Novemb. pontificatus nostri anno tertiodecimo.

bentes, monere prudenter & efficaciter inducere procuretis, ipsos ad hoc, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut iustum fuerit, compellentes. Testes autem qui fuerint nominati &c. Datum Laterani Nonis Novemb. pontificatus nostri anno tertiodecimo.

E I S D E M.

Conquestionem venerabilis fratris nostri Patracensis Archiepiscopi recepimus continentem quòd C. Miles & quidam socij sui Patracensis diocesis in domum suam nequiter irruentes, manus in ipsum temerarias injecerunt, ac Ballivum suum, quem inter brachia contra eorum saevitiam tuebatur, per violentiam capientes, pro eo quòd jura Ecclesiae fideliter defendebat, nasum ei crudeliter amputarunt. Per ipsius quoque Militis servientes idem Archiepiscopus captus fuit, & per quinque dies in carcere duro retentus, multis aliis eidem ab eodem Milite ac suis complicibus damnis & injuriis irrogatis. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus dictum Militem & alios, ut eidem Archiepiscopo super datis damnis & irrogatis injuriis satisfactionem exhibeant competentem, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Testes autem &c. Datum ut in alia.

E I S D E M.

Venerabilis frater Patracensis Archiepiscopus proposuit coram nobis, quòd domini terrae illius, pro eo quòd sacerdotes & monachos Graecos angariare nituntur, eosdem non permittunt sibi & aliis Latinis Praelatis debitam obedientiam & reverentiam exhibere in animarum suarum dispendium & gravamen. Quocirca fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus dictos dominos, ut ab hujusmodi praesumptione desistant, monitione praemissa, per censuram ecclesiasticam appellatione remota, sicut iustum fuerit, compellatis. Testes autem &c. Datum Laterani v i i i. Idus Novembris, anno tertiodecimo.

E I S D E M.

Cum nonnullae possessiones ac jura & pertinentiae quas Graecorum temporibus habuit Ecclesia Patracensis, quarum etiam possessione in ingressu Latinorum in Achaiam gaudebat, eidem per Latinos asserantur esse subtrahenda, fraternitati vestrae per